



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Cur Episcopatus licitè peti poßit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

1. Cor. 4. plurimis triumphas? illi gloriam ascribe, unde accepisti.

§. II.

Cur Episcopatus licite peti possit?

5. Corollarium. Etsi D. Augustinus, & D. Thomas plerumque ita loquantur, ut honor, aut gloria, eiusque appetitus, ne sit vanus, pro scopo debeat habere vel Dei, vel proximi bonum, hoc est, vel Dei honorem, vel proximi salutem; non negandum tamen est, posse etiam appeti boni nominis existimationem, dignitates atque officiorum honores, ob proprium bonum; si scilicet illi honores propriam quoque videantur, non iam laudem, sed salutem promoturi, & meritum ac coronam celestem aucturi. *Fidelis sermo*, ait Apostolus, *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; nomine Episcoporum, etiam Parochi, & sacerdotes intelliguntur, cum idem sit eorum munus docendi, regendi que populum, & pascendi gregem Christi, licet numero minorem. Quia igitur videmus plurimos sacerdotes parochijs, episcopatibus inhiare, atque ob eam ambitionem reprehendi, haud sane perfunctorie hic locus est à nobis tractandus, ut sciatur, quid licitum, in hoc genere, quid vero illis

illicitum esse, doceamus. Duo sunt in episcopatibus, parochijs, sacerdotijs, præposituris &c. Vnum est labor, alterum honor; isque vel temporalis, vel æternus. Qui ergo *episcopatum*, vel aliquid simile *desiderat*, ut habeat occasionem laborandi, aut patiendo pro Christo, & gloriam in cælo maiorem assequendi, *bonum opus desiderat*. Tempore D. Pauli Episcopatus non erat tam honor, quàm labor ingens, & proximus ad martyrium gradus. *Qui episcopatum desiderat*, ait Alvarus Pelagius, *bonum opus, id est martyrium desiderat*. Illo tempore ab Apostolo dictum est: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quo quisquis plebibus præerat, primum ad martyrij tormenta traheretur. Tunc ergo fuit laudabile episcopatum querere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire. Quemadmodum igitur Deus in primitiua Ecclesia multos excitabat, ut se offerrent martyrio, pro Christi nomine patiendo; ita etiam quosdã excitabat, ad episcopatus capeffendos, ut se se & fidei, & martyrij duces alijs præberent Christianis. Quare tot, per annum, episcopi & martyres celebrantur, quorum planè honor maximus est, & gloria sempiterna. Ad hanc ergo, ut pro-*
pri

Alvarus
Pelag. l.
de plan-
ctu Eccl.
c. 18.

prium etiam quoddam bonum, licitè aspirauerunt. Et sunt etiam hodie multi alij honorifici tituli, per quos, non quia honorifici, sed quia laboriosi sunt, fas est ad veram illam semperq; duraturam gloriam aspirare. Existimantur tamen aspirare ad honorem, quia ad illud aspirant, quod honorem parit; quem excelsi animi despiciunt, humiles & abiecti suspiciunt. Quare optimi quique nihil pensi habent, siue laudentur, siue laude priuentur; vilissimi autem putant se premio suo carere, si careant præconijs. Vt enim membrum scabiosum semper opus habet frictu; ita honoris cupidus animus, nunquam satiatur, quia prurit in laudes humanas: neque scit, quid intersit inter gloriam, & gloriationem; rectius facturus, si ad amussim lapidem, non ad lapidem amussim

Vide gesta S. Anastasie apud Sur. 25. Decemb. Niceph. lib. 14. hist. Eccl. cap. 10. & Brev. Rom. 24. Nouemb. br.

applicaret. Quid in Episcopatu spectandum sit, docuit S. Chrysostronus, qui Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, per biennium S. Anastasie facultatibus vivebat, sed cum Imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysostronus Aquileam ad se mitteretur, eò perductus est. Cui Imperator, *Accersini*, inquit, te, Chrysostrone, ut honoribus

ribus

ribus augeam, si modo induxeris animum Deos colere. At ille, Ego eum, qui vere est Deus, mente & oratione veneror; deos autem, qui nihil sunt, nisi demonum simulachra, odi, & execror. Quo responso excandescens Imperator ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet. Hanc purpurâ sanguinis sui, regum purpuris quicumque anteponit, licitè desiderat episcopatum; qui aliud quærit in eo, quod splendeat, ire per extentum funem quærit, vnde facilis est lapsus.

§. III.

Laborem, non honorem, in Episcopatu esse appetendum.

Alterum itaque quod in Episcopatu, Decanatu, Parochia, aut Sacerdotio potest spectari, est honor humanus; dignitas Ecclesiastica; gradus sublimior; ampla potestas; copiosi proventus; mensa lautior; pinguior fortuna; splendidior familia. Ob hæc talia quisquis episcopatum desiderat, ambitione, & avaritiâ periculosâ peccat. 1.

Quia, teste Augustino, episcopatus est nomen operis, non honoris. Itaque si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, ait

S. Hieronymus, opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate de-

E

crescat,

S. Aug.
lib. 19. ci-
uit. c. 19.

S. Hieron.
ep. 83. ad